Illustri ac præstantissimo viro,
Domino CONSTANTINO HUGENIO,
Iacobus Golius. S.

Non existimo quenquam esse, nobilissime vir, quem non mirifice
affecerit lecta dissertatio tua, quam de Organi musici in templis nostris
usu nuper emisisti. Quem autem non moveat expressa in eo scripto, quam
et ubique commonstrare soles, gratissima illa ingenii, doctrinæ et virtu-
tum symphonia? Aut quem non permoveant, quæ rei ipsi, recte
praeviderque, ut quidem mihi videtur, à te definitæ ac distinctæ, gra-
vissima addidisti rationum momenta? Quapropter nequivi persuadere
mihi, in argumento tam plane mixo et plene tractato, privati ali-
cujus judicium vel assensum, saltem meum, aliquo haberi loco vel serio
requiri posse.
Sed quemadmodum coelestes pietatem animi testaris, cum inter continuas
curas, Celsissimi Principis negotiis ex officio intentas, domus dei zelo
flagras, et, quod verum ejus membrum decet, corpori in commune
prodesse studes: ita generosæ mentis humanitatem et simul modesti-
am probas, magnoque publico exemplo commendas, cum aliorum quo-
que de judicia deposcis, quibus subjicere eam cupias tuum.
Multum equidem ego ipso munere tuo lætatus fui, quo me quoque
inter cæteros decorare tibi collibitum fuit. Neque id uniquam gratius
aut honorificentius accidisse puto: siquidem veteres ex veteres erga me
benevolentiæ affectum eo novo pignore quodam testatum mihi
confirmatumque voluisse: illum dico, quem ut ab ineunte ætate
nunquam non perspexi: ita in primis felicitatis meæ partibus deputa-
vi semper; et quo meritis meis majorem agnosco, eo gratioris animi re-
verentia colo.
Non tamen propterea quid sentirem rogatus, ad palpum vel adulationemque
à quibus abhorreo, quicquam respondi, quod ab intimo animi sensu discre-
paret. Namque ante triennium, cum in urbis hujus Ecclesia senioris mu-
nus sustinerem, eandem in eadem fere causa sententiam professus fui:
quando nempe ordinis illius judicium quoque audiendum magistratus cen-
suisset, antequam Organi concentus cum Psalmodia sociandus esset.
Quod autem super ea re nuper coram te declaravi verbis, exhibere scripto
non alia distuli de causa, quam quæ superius a me allata fuit: ne
quid afferre cuperem, quo jam præclare defunctus esses, minus quam
actum agerem, aut ut anser inter cygnos strepere viderer. Ut tamen
complendo, quod in me receperam, officio aliquid tentarem, ingenio tuo
dignius atque observantia mea, de Orientis musica et Poësi, quibus artibus
ut liberaliore alia quacunque, magnopere delectaris et excellis, ex
gentis ipsius monumentis transferre quædam in animum induxi: ut

præfixa

© Koninklijke Bibliotheek
KA 48, fols. 649-652
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2808

præfixa iis epistola mutuari inde aliquid posset, quo se tibi magis commen-
daret, et per se alias careret. Neque hoc præter rem futurum videbatur,
siquidem musicum quid in cultu Dei usurpare ille etiam Orbis Sacrum et Sole-
mne habet: hoc quippe de iis unum est, quæ omnium gentium religioni com-
munia quodam modo censeri possunt. Verum in statuto illi exequendo op-
sculum otii, et ad rerum quarundam obscuritatem, quibus nova et pri-
cumque obnoxia esse solent, nonnihil lucis scientiis desiderabi.

Atque ita paulatim contigit me studium probare voluntatem neglecti vas-
surdum: neque tamen iterum ac iterum protracti responsi moram molior-
forsan aliquo mentis meæ symbolo postliminio pensari, quam quod an-
verbis a me collatum fuit. Quoniam vero quantulumcunque illud vide-
re pro benevolentia tua gratum duxisti, quod vis id me hac parte desi-
derari quam obsequium malim. Animum igitur, ut spero, de cujus
erga te fide atque integritate dubitare nolis, culpa hic absolves; reli-
quam vero omnem pro humanitate condonabis.

Quod quidem ad ipsa templa spectat, salvo aliorum judicio ita videtur m-
hi: quamvis solum Hierosolymitanum ex Dei instituto quondam Sanctu-
fuit; cætera vero extra Dei cultum, qui in iis peragitur, nihil in se sa-
cri habent: neque tamen minus quam olim eadem illi officio, cultui
nempe Dei ut Petrus Martyr docet, dicata sunt: arbitrio inquam eorū
quibus loci publici est potestas, cum sacra gratiarum actione procurbiss
pro concesso Dei munere, et salutari usu. Cum igitur ubique servandum
loci decorum recta præcipiat ratio, civibus saltem quædam templi re-
verentia esse debet, non minus, quam Prætorii est sua. Et sane Aposto-
co canoni, ut omnia ordine decenter atque ad ædificationem fiant, re-
pugnare videtur, in eodem templo, statis volunt horis et publice, bre-
temporis spatio excipere jubemus, et tantum nos committi, res toto dis-
ctas coelo. Sanctas nimirum et vanas; Dei cultum ac mera homini-
oblectamenta, citra animi culturam aut Reipublicæ emolumentum
eodem modo Spiritus Sancti interdicto et comminatione ignava pro-
bri otia ac inanes sermones; et mox quasi campum illis aperiri q-
dam, fomenta et solatia præberi. Utique abesse quidem vetarique, ut
ut debet, superstitio omnis potest; etiamsi contrarii abusus, ἀχρηστ-
κὶ ἀταξίας, quicquam nos succedat.

Pro Organi vero Musica Sacris Ecclesiæ cantibus attemperanda, nolo m-
vere Apostoli ad Ephesios verba ᾄδοντες & ψάλλοντες: quasi declinandæ
melius tautologiæ ergo per posterius intelligenda videatur aliqua instrumentali
musici contestatio; præsertim cum τὸ ψάλλειν, et quasi τάγειν ut Gram-
matici volunt, id ipsum proprie notet, et vix a quoquam Scriptore, quod
sciam, ad illud verbum aliter sumptum fuisse videatur. Verum satis fuerit
digesse, haudquaquam ejusmodi Musicam pro peculiari aliqua religio-
dam cultus divini parte, aut novo Ecclesiæ ritu: sed dum tamen plu-
adjumento habendam aliquo, ut receptus Ecclesiæ ritus, de cujus ob-
servanda constitutione, sive ut Apostolica, sive saltem primi seculi anti-
quissima, inter omnes convenit, in Ecclesia decoro suo et quo certa quæ
et quod ore animoque faciendum, obtineat meliusque a singulis peragatur

Etenim nemo ignorat, norma quadam et velut habena opus esse, ut popu-
li totius cantus, in magna praesertim variaque multitudine et difficilioribus
odarum formis, ne quid ibi turbidum et inaequale emineat, atque adeo
absonum et deforme, a quo sensus et ratio, adeoque totus homo abhorret. Id
ipsum et innuisse D. Paulus videtur, cum ad Col. 3.16. inquit, ἐν χάρι-
τι ᾄδοντες; licet hoc etiam referendum ad cantici ipsius sensum et verba. At
cum vero cum non semper sufficere clamorem praecentoris vocem, in nostra
saltem Ecclesia, usus docet. nec video quorum et ipsa artis praestantissimae
vis, quae in componendis ad honesta animis alias plurimum potest, cum modo ad-
hibita hic locum habere aliquem non possit: ita ut alia in aliis sacris coetibus
externa media habeant sua. Ideoque praeclaris Helvetiorum Ecclesiis, quae
ordine, disciplina et morum gravitate excellunt, majoris cujusdam [illegible]
Musicam in Psalmodia, ut accepi, adhibere visum fuit. Tigurina addidit
Chorum; Basileensis Organum; quin Bernensi ductiles placuerunt tubae.
Neque contra ejusmodi Musicae organicae usum, cum cantibus populi seu
Ecclesiae totius vocibus juncta, quicquam facere videntur argumenta, qui-
bus instrumenti cujusque cantum ab Ecclesia excludendum contendi solet.
Longe enim hinc diversus erat apud populum Judaicum organorum ille appa-
ratus, quo velut infans, elementis mundi inolitus, demulcendus esset. illis
quippe sacer fuit ipse sonus, et pro animo tantum non auribus erant; nec multo
magis quid subesset mysterium capiebant, aut in ea Sabbataria Musica
ceterorum quisque ore et corde minus obibat sonum, quam si quis coram
vero psallisset in cunis infante.
Neque vero Judaizare protinus dicendus fuerit Christianus, si quod olim for-
te ad Judaicam ceremoniam pertinuit, in ritu Christiano commodi alicujus ergo
adhibeat juxta proprium suum usum, quem natura virtute semper habuit,
et quoque nunc habere potest. Ita namque tenendum puto, res omnes
in eum a Deo finem institutas, cui natura sua comparatae sunt atque con-
ducunt. Paschatis in Aegypto celebrati religio postulabat, ut comederetur
lumbis succinctis, cum baculo in manu, et calceis in pede. Nunc igitur in
coena Dominica Sacramento illicitum fuerit earundem rerum quicquam
usurpare ad convenientem sibi commoditatem, quam praestare possint?
ut quis haud impeditus accedat, infirmior se sustentet, pedem a soli noxa
inoffensum servet? et si quae talia conducant omnibus, quare non omnes fa-
ciant, quod singulis licet: non audere pertanti libertate, si quando expe-
diat, aut jubet, non minus servitutis parbyt, quam ejus, quod per se indifferens ac libe-
ri usus fuerit, necessariam imponi observationem.
Neque criminis vertendum, quod Organi usus de quo quaeritur, ad Dei cul-
tum et gloriam refertur, cum eo, velut ad ultimum finem, cuncta tendere
debeant et referri. Ne autem illo videatur ulla esse ceremonia, aut ri-
tus sacri religio, quam semper uti oportet fide ac verbo Dei, hoc qui-
dem satis est, in ejusmodi sono nec sanctimoniae quicquam, nec peculi-
arem Dei observantiam collocari; nec symbolorum illi aliquid, aut quam
natura non habeat tribui virtutem. Neque ea res in se gravior, aut
majoris ad scandalum periculi videtur, quam, quod et ipsum Judaici ap-
paratus fuit, coronaria templi candelabra luminibus impleri, ut
in crepera seu dubia luce facilius distinctiusque praelegatur sacrum Dei
verbum, aut aliqua liturgia.
Ejusmodi igitur, qualem erudita cum gratia descripsisti, Instrumentalis
Musicae usum, non tantum, ut adiaphorum quid, Ecclesiae Christianae
licitum esse arbitror; verum etiam, quod in talibus rebus Apostolus
una requirit, expedire ac prodesse nimirum, ut cum majore ordine

ac

et decoro, apud nos saltem, Psalmi atque aliae sacrae canuntur Odae,
et, quoad humanitus fieri potest, magis efficiuntur ἐπῳδαὶ ταῖς ψυχαῖς.
Cujus quidem rei aptissimum videtur esse organum, quod absoluto ob
praestantiam nomine Organum dici solet, judicio velut Apollinis hu-
juscemodi tuo luculenter commendatum. Hoc quippe non modo caete-
ris fere omnium facultate pollet; sed etiam gravitate peculiari qua-
dam et decoro modulaminis suavitatem ita temperare novit, ut le-
vitatem omnem et mollitiem, aures inaniter pascentem, facillime
elidat. Atque ita dum ^coelestia concentuum voces quadam vi sua ad εὐρυθμίαν
et aequalitatem inflectit, tum eos quasi coalescens animos, uti vide-
tur, magis excitat ad studium cantatae rei, excitatos in ejus meditatio-
ne firmius detinet, in ejusdemque amore et desiderio accensos sursum ra-
pit. Neque vero, ut opinor, deerit quisquam compositor sensuum et
affectuum motus, penetrantes in mentem honesti studiosam, epitasesque agi-
tationibus utcunque aptatos, cum ubique alibi multum valeant,
in sacris et divinis rebus, nihil ^praestare juvare posse: cum ipsa Dei gratia
non destruat naturam, sed in ordinem reducat perficiatque, et quoqui-
ijs rebus, quas homini indidit, ut mediis utatur ad hominis salutem.
Si quis munera praecentoris ita fungi posset, ut Organi illius vicem in-
super expleret, an non expetenda vocis ejusmodi copia, atque aliis
omnibus praeferenda foret? Nunc vero cum tale quid haud facile
et ne quidem dari queat, quare, quod proximum est, ad praecen-
toris vocem pro complemento non assumatur parabilis admodum ejus-
dem Organi concentus, sonoque ejus sonis omnium ^non jubetur? Conve-
nientiore hac Musices utriusque, vocalis et organicae, societate effici-
tur, ut argumenta, quibus sanctissimi quique viri vocalem, in sacris
usurpatam, commendarunt, efficacia etiam plus habeant pro sententia nos-
tra: quibus vero Organicam prohibuerunt, haudquaquam officere nobis
vel adversari videantur. Gravissimum forte fuerit Iustini Martyris
Patris omnium, qui extant, antiquissimi, testimonium, quaest. 107:
οὐ τὸ ᾆσαι ἁπλῶς ἐστὶ τοῖς νηπίοις ἁρμόδιον, ἀλλὰ τὸ μετὰ ἀψύχ-
ων ὀργάνων ᾆσαι. Sed tum ex sequentibus ejusdem verbis, tisque quae
à te scripta, et à me superius repetita fuerunt, interpretatio commo-
da et responsio ultro sese offert. Nam si τὸ μετὰ ὀργάνων ᾆσαι sit
instrumentaliter canere, non vero una cum iis vel ad ea, sicuti prae-
positio illa subinde usurpatur, haud aliud inde elici poterit, quam
quod tute assertum voluisti; ^ Sin autem altero intelligendum sensu,
ut nempe organi inanimati cantum simplici seu vocis humanae
cantui conjunctum reprehendat, haud spectaverit S. Pater ejusmo-
di ordinatum, de quo agimus, organi usum: sed quod insipientes,
ita ille Iudaeos imprimis et Gentiles vocat, instrumentorum appa- edebant
ratu inani, intellige superstitiosum, vel levem et lascivum
siquidem addet μετὰ ὀρχήσεως καὶ κροτάλων, Id ipsum autem in
cantu absoluto dicto seu vocali, si quando deprehendi contigit, aeque
culpatum fuit: nec tamen propterea honestior ejus damnatus usus.
Rebus vero illis, ob quas venerandus antistes eodem paulo post sim-
plicem eundem vocis cantum commendat, non tantum non incom-
modat junctus, qualem diximus, organi concentus: sed etiam commo-
dum

^ simpliciter dictum cantum, id est, vocalem; non vero solitarium Organi, ab illo separatum, continere.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 48, fols. 649-652
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2808

commodum et momentum haud leve afferre potest. Vel forsan aliae rationes
fuerunt, à personarum, quae tum in Ecclesia tum extra eam exstant, utrarumque
ipsorum, et temporum statu ac conditione petitae, ob quas ejusmodi Musices usus
tunc quidem Ecclesiae non conducere judicatum fuerit. Iisdem vero circumstantiis
in contrarium mutatis, nihil obstat quo minus eadem prudentia Christiana
utendum suadere possit, quo non utendum ante statuerit. Hoc quippe eorum,
quae media et adiaphora dicuntur, natura postulat ratioque dictat. Et ejus-
modi rerum seu mutationum exempla in orthodoxis superiorum temporum Eccle-
siis haud pauca extiterunt. † Ita quoque apud nos aliquando Organi cantus
+ superstitio et abusus in usum reddiderunt; ardentior vero temporis zelus ac
pietas, exterioribus humani juris mediis velut superior, iisdem etiam supersedere
gaudebat, summa alioque simplicitate contentus; quae etiam, uti et quietiora om-
nia, persecutioni peculiariter conveniebant. Nunc cum pacem Ecclesiae dederit
Deus, perspecti dudum atque exacti abusus fuerint, quidni honesta libertate
ad rerum quarundam usum sine periculo uti possit? Imprimis nunc multitudo,
et quidem imperitior quam ante, confusioni magis obnoxia, majorem diataxiae
curam atque operam requirit; animi vero prosperitate sopiti, ac tardiores facti,
quocunque etiam modo excitari et impelli opus habent. Quamobrem mirum vi-
deri minime debet, qui facile tunc relictus fuerit Organi usus, nunc sacris coetibus
exercitiis decore accommodatus in hujus nostrae et vicinarum quarundam ur-
bium Ecclesiis haud difficulter receptum seu admissum fuisse. Optatum qui-
dem effectum et fructum aliqua saltem hactenus parte ad easdem inde rediis-
se, extrinsecus quidem in toto corpore, sive conventu ipso, palam animadvertere
quivis potest; intrinsecus vero in se experitur quisque, et se experiri multi te-
stantur. Nec infirmiorum, qui inter nos plurimi, iique simplices et pii, ullas
hactenus intellexi innotuisse querelas, Politico-ecclesiasticorum hoc institu-
tum ipsis scandalo fuisse.

Quapropter cum regum omnium Deo gratissimus, et qui vero illi spiritu ser-
vivit, omnes Dei creaturas et cuncta humanae artis musica organa cantan-
dis Deo hymnis psalmisque suis subsidio vocavit: equidem laudem et gratias
magistratui deberi puto, qui animis et munificentia faveat eorundem in
Ecclesia cantui rite ordinando et conservando. Quoad in regno Christi sim-
plicitas et modestia permittere; ordo et decorum requirere; omnia denique
rerum momenta suadere videbantur. Ubi quidem, sicuti nullibi non, in-
firmiorum praesertim conscientiis cum cura consulendum; sed tali quoque,
ut, quantum fieri queat, monitione, sive privata sive publica, et doctrina
aliqua iisdem succurratur. Quod quidem esse praestabilius videtur, ita
scilicet medicinam fieri, quam sequiora de rerum usu judicia, et quae
inde plerumque nasci solet, infirmitatem silentio vel assensu fovere. Ubi si
illa, quam dixi, ratione eximantur qui libenter saepe scrupulis haerent, piae animae in-
de certe haud parum rectiori judicio ac robore, quod semper optandum, proficere
comperientur.

Quoniam autem libertatem veri studiosam à te amari scio, non possum
dissimulare, quod ex insigni tractatu tuo in mentem hic mihi venit, et
ad consensum meum difficilius movere potest. Namque haud improbabili aut
inconcinna ratione niti mihi videtur, quod tibi placere aut probari nequit,
Decalogi in Ecclesia cantum intelligo, quo velut epiphonemate quodam
sacros plerumque finire actus Ecclesia Gallicana consuevit. Namque postquam
ibi fidelium quisque verbo Dei ac praeceptis affatus animam suam
praeviis versibus ad attentionem excitarit, eamque monet et docet; atque
omnes invicem inter sese; addita sub finem precatione et submissi animi
voto. Neque illud à plurium Psalmorum norma ac exemplo, Apostoli
Pauli admonitione, et antiquissima consuetudine alienum videtur, qua
leges cani solebant, ut composita ad rhyth-
mum et numerosis verbis concepta leges cani solebant, et magis placere possent. Sed qui meliora
memoriae animis facilius inscribi et magis placere possent. Sed qui meliora
semper doceri cupio, haec rationes meas et quodquod est reliquum
subjicio vicissim judicio tuo ac censurae. Atque ita tandem finem facio,
et veniam peto, quod postquam mihi metam longius transgressus tandem forte
ac molestia peccavi in gravissimas tuas pro bono publico occupationes.

et merito aestimaveris. Haud operae pretium fuisse video quoque Stellulae
symbolum in aliorum numerum coadoptare, quae recepta. Hac, in quam oblatas
a Te nobis delicias depravasse videri possum, apponeretur crambe.
Cum tamen me alterius quoque officii meminerim in gratiam Clarissimi Wen-
delini, ob ingenii et doctrinae dotes carissimi omnibus, pauca quaedam adji-
ce licebit; ne utriusque vestrum desiderio et officio meo diutius desim. Quae
super problemate de accelerato gravium motu ingenio ille et industria de-
num invenit, aeterna memoria laudem mereri judico, et quoniam cum
Galilaei inventis concordantia insigne veritati testimonium perhibent,
demonstrationis suae et plurioris tractatus publicae [editionem] expectationi ac
simul nominis sui [tamen] debet. Nec est quod Chronologicae diatribae impressionem
diutius remoretur spes et opinio, quam de Chronico Samaritanico adjumen-
to concepit. Perlustrare illud quondam me excursum peregrini atque in-
sitati characteris taedium in primo quasi opere stetit repulitque. Nunc
firmato animo a capite ad calcem totum evolvi; quod etiam res interal-
impedimenta afferit, ut tandem perficiam quod diudum praestandum fuit.
Est vero Samaritanicum illud scriptum libri Josue compendium quoddam
eodem etiam nomine insignitum, variis gentis traditionibus interpola-
tum; quas miror Judaeorum magistris tanto in pretio haberi, ut nonnulli vi-
antur hac parte summorum hostium fide et autoritate niti. At in
illo opere ne verbum quidem de annis Jubilaeis deprehendi. De ex-
petitis Ecclesiasticis particulas addo melioris notae, cum diligentia atque
industria observatas: suspectae fidei, aut potius apocryphas, et aliun-
missas, utilius retineri et supprimendas arbitror: ne tenebras pro lu[ce] [offerre]
et remoram pro subsidio solertissimi viri laboris injicere videar, eff-
ciamque longius se subducat nobis quod prodire in conspectum su-
optamus. Haec quidem omnia, quantulacunque sunt, ubi mag-
verborum effusione vix quicquam aut nihil boni collatum novi,
aequi bonique consules, et me, quod unice expeto, nihilo minus
amare perges qui Tibi et illustri familiae ac posteritati, ubi pa-
triaeque decori, majorem, quam exprimere possim, amoris affectum
ampliora, quam praestare queam, obsequia et officia, totum denique
animum addixi. Dabam Lugd. in Bat. V Sext. ∞.IↃC.XLI.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 48, fols. 649-652
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2808

Aen myn Heer
Den Heer van Zulichem Ridder,
Raedt ende Secretaris van syn
Hoocht: myn Heer den prince van
Orange

Int leger

voor Bomel.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 48, fols. 649-652
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2808